

**Rector Et Senatus Academicus Civibus Academiae Fridericianae Buezoviensis
Solemnia Paschalia Rite Celebranda Indicunt, Praemissis Vindiciis Glorae
Christi Se Ipsum A Mortuis Excitantis Contra Recentissimas Impugnationes : [P.
P. Sub Sigillo Academico, Ipsis Feriis Paschalibus, Anni MDCCLXV.]**

Buetzovii: Fritzius, [1765]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830124268>

Druck Freier  Zugang



Vin. Proprietat. sive Dupl.

71

572


Fa-1092 (ii.)

- N. 1. Wippel *Labum sub Daniel Eremita.*
- N. 2. Christoffelius *lingularia oettingensia*
- N. 3. la providence ne s'interesse point à l'individu mais à l'espece.
- N. 4. Tychsen *abbreviaturarum hebraicarum supplementum l.*
- N. 5. Burfeker *de gaza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph.*
 xl. 4. *Dissertatio postposita.*
- N. 6. Ernesti *de praeparata corpori et sanguini Christi in coena sacra.*
- N. 7. ~~Ernesti~~ *de Concilio Tridentino part. l.*
- N. 8. Aepinus *Imp. Caroli Ch. merita in rem sacram.*
- N. 9. Charvicius *de sapientia sanctissima rite colenda.*
- N. 10. Tychsen *de delectu veterum ebraeorum dissertationis l.*
- N. 11. Witte *de genuina S. G. uniuersali natione.*
- N. 12. Boederlein *de finibus theologiae dogmaticae et moralis recte constitutendis.*
- N. 13. Weidener *quod salus aeterna non meritis nostris sed solum Dei gratia, per meritum Christi acquiritur ne talis.*
- N. 14. *Item Regentius male regens et fanaticus rediens ad Papismum frustra suadens.*
- N. 15. Rufinus *de veris sinceris peccatoris Christi requisiti etc.*
- N. 16. Zaachre *de lege aequilibrata in natura obseruata etc.*
- N. 17. Schmid Verisio *Alexandrina optimum interpretationis librorum sanctorum praedictum.*
- N. 18. Richter *de theologo Dei homine ad 2 Thim. III. 17.*
- N. 19. Schubert *de iudicio Joannis Caluini et Figurarum in causa Haereticorum.*
- N. 20. Zachariae *de usu dogmatico nomini filii Dei.*
- N. 21. Emmerling *interpretatio. Num. XXII. 20-35.*
- N. 22. Hoerfelmann *de diuina punctorum vocalium et acentuum codicum hebraici origine.*
- N. 23. Haempfer *de modo praedicationis Paulinae per esegesis dicti I Cor. II. 4. 5.*
- N. 24. *Item de modo praedicationis etc.*
- N. 25. Haestner *Ernesti - Grundriss der theologie biblischen des manuskripten Textes.*
- N. 26. Christoffelius *de vita Pamingerorum commentarius etc.*
- N. 27. Becker *quaestio: an aeterna annihilatio hominum peccatorum fore etc.*

- N. 28. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericianae Butowien-
 N. 29. Fauvotius de poena hereticorum etc.
 N. 30. Doederlein de vero usu atque abusu rationis humanae in rebus divinis
 N. 31. Dem de usu atque abusu rationis etc.
 N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales ferias etc.
 N. 33. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericianae Butowien-
 N. 34. Academiae Fredericianae Butowienfis Rector et senatus acade-
 micus memoriam resurrectioni Christi etc.
 N. 35. Dem solemnia natalia Domini nostri Jesu Christi etc.
 N. 36. Zachariae Christus $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma\ \epsilon\kappa\ \tau\omega\upsilon\ \rho\epsilon\gamma\eta\omega\upsilon\upsilon$.
 N. 37. Rector et senatus academicus Butowienfis etc.
 N. 38. Zachariae Christus $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma$
 N. 39. Rector et senatus academicus Butowienfis etc.
 N. 40. Marrius de jurisprudentia divina ex codice sanctissimo.
 N. 41. Becker an Gn. D. Teller nisi negata vera spiritus sancti deitate etc.
 N. 42. Dem an Christus in sua explanatione et ascensione etc.
 N. 43. Chrylander de fundamento explanationis Christi Romini maiestatis.
 N. 44. Dem recensio scriptorum eruditorum
 N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitarum.
 N. 46. Trendelenburg de Judaeis etc.
 N. 47. Ministerii quae hincenburg Pastoralis scripturae etc.
 N. 48. Rector universitatis ad solemnia paschalia etc.
 N. 49. Quistorp de ratione modoque quo peccati fomes etc.
 N. 50. Becker creationis universi gloria filio Dei etc.
 N. 51. Quistorp de $\lambda\omicron\gamma\omega\ \text{Pauli}$ (Cor. 1. 5).
 N. 52. Prier de sanctis angelis et apostolorum etc.
 N. 53. Detharding de cura infantum recens natorum penes etc.
 N. 54. Martini de non usu iudicii denuntiatorii in Megapoli.

RECTOR ET SENATUS ACADEMICUS
CIVIBUS
ACADEMIAE FRIDERICIANAE BUEZOVIENSIS
SOLEMNIA
PASCHALIA


RITE
CELEBRANDA INDICUNT,
PRAEMISSIS VINDICIIS
GLORIAE CHRISTI SE IPSUM
A MORTUIS EXCITANTIS,
CONTRA
RECENTISSIMAS IMPUGNATIONES.



BUEZOVII
TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

RECTOR ET SENATUS ACADEMICUS
ACADEMIAE FRIDERICIANAE BUCHOWENSIS
S O L E M N I A
P A S C H A L I A

RECEPTESSIMAS IMITATIONES
A MORTUIS EXCITANTIS
GLORIAE CHRISTI SE IPSUM
PRAEMISSIS IUDICIIS
CENSURAE INDOCTAE
LITIS



BUCHOWIA
GOTTFRIDUS SEIBER PRINC. LIBR.
ET ACADEM. BIBLIOTEC.



CHRISTUM, nostra causa crucis supplicium mortemque violentam perpeffum, tertio die vere in vitam rediiffe, negare non audent, qui non omnem fidem facrarum litterarum maxima temeritate & impudentia impugnatum planeque fublatum eunt. Qui a **CHRISTO** nominari, eiusque profiteri religionem videri volunt, quicquid ceterum de eo eiusque doctrina fibi ipfi proprio ingenio, fcriptura facra licet contradicente, effingant, id faltem, quod centies repetunt fcriptores facri, infitari non audent, eundem feruato rem noftrum, qui noftra causa vere fit mortuus, vere etiam effe refufcitatum ROM. IV. 25. Sed illud faepius tentant, qui de **CHRISTI** diuina gloria detrahere cupiunt, vt ipfum auctorem fuae in vitam reftitutionis effe negent, feu **CHRISTUM** fe ipfum eum patre & fpiritu fancto opera communi refufcitate, argumentis fallacibus impugnent. Mirandum non eft, ab

A 2

in-



infensissimis verae aeternaeque diuinitatis CHRISTI hostibus, *Socinianis*, illud oppugnari, quippe qui naturam eius diuinam plane negantes opus hocce diuinum naturae illi vni finitae, quam ei attribuunt, quaque mortuus est, adscribere nequeunt. Saepissime contra eos gloria CHRISTI, quam luculente demonstrauit, templum corporis morte fractum tertio die restituens, a Theologis nostris est vindicata, quam ob rem nouum non est argumentum, quod iam discutiendum nobis sumimus, at nouum videri potest, quod a S. R. TELLERO eadem *Socinianorum* opinio in compendio doctrinae sacrae adoptata, denuoque exornata est, etsi aeternam CHRISTI diuinitatem cum iisdem aduersariis negare videri nolit. Interim infitari non possumus, saltem dubios reddi lectores, qualis Doct. TELLERO de diuinitate CHRISTI sit sententia, si opera diuina merito, quum essentia diuina vnica tribus personis communis negari non debet, singulis diuinis personis attribuenda, CHRISTO ab iudicari vident, sicut & mundi creationem peccatorumque iustificationem filio adscribendas esse negat, atque si, spiritum sanctum Deum esse aeternum, non ex oraculis diuinis, sed eiusmodi argumentis probatum legunt, quae doctrinam hanc serio ab auctore adferri atque defendi credere nemini mediocriter tantum in argumentis theologicis diiudicandis versato permittunt. Hoc enim ipso doctrina de trinitate sanctissima euertitur, quam etiam integram in libro suo praetermisit, etsi sit fidei doctrina maximopere grauis magnique momenti, neque in eam excusatio, ommissae reliquae doctrinae de Deo eiusque attributis, quod illa ipsi rationi cognita atque perspecta in Theologia reuelata supponi iam possit (quam vero etiam quoad hanc partem doctrinae de Deo minus idoneam atque sufficientem arbitramur) quadrare possit, quippe quae certe doctrinis rationi plane ignotis, solaque scriptura sacra nobis patefactis, est adnumeranda. Limites, quibus circumscribimur, non permittunt, cuncta, quae digito quasi tantum attigimus, vberius persequi, occasionis potius, qua haec scribimus, memores, CHRISTO

tan-

tantum, deo, domino & seruatori nostro aeternum celebrando, gloriam illam vindicabimus, quam ipse sibi tribuit, propria vi sua atque potestate in vitam eum rediisse. Reditus enim eius gloriosissimi ex morte in vitam memoriam festis hisce diebus laeta, pia grataque mente celebrandam ciuibus nostris aestumatissimis commendabimus.

De resurrectione CHRISTI ex morte agit Doct. TELLERUS *compendii* P. II. C. II. Sect. II. §. XIII. p. 161. seqq. atque patri soli, non autem CHRISTO ipsi, eam esse attribuendam, probare operam nauat p. 162. seqq. vbi initio obs. II. sententiam suam his verbis exponit: *Ich schreibe die Lebendigmachung und Auferweckung gantz allein dem Vater zu, und bemercke hier die zweyte in dem Vortrag der Glaubenslehre herrschende dogmatische Irrung, was die verschiedenen oeconomicischen Handlungen des Vaters und des Sohnes anlanget, nachdem ich die erste schon bey der Lehre von der Schoepfung gezeigt.* De creatione certe id probatum non dedisse TELLERUM, alii iam demonstrarunt, neque confusionem dogmaticam in doctrinas de operibus diuinis oeconomicis, quae ab attributiuis haud distinguere videtur, introduci, si filio Dei sui ipsius a mortuis excitatio adscribatur, statim vberius probabitur. Certe, cur confusio ex eo sit metuenda, nemo facile videbit, in primis quum illud ex ipsorum attributorum diuinorum atque operum externorum natura pateat, haec singulis personis diuinis esse communia, etsi vni personae crebrius attribui soleant, quae in opere quodam singulari reliquis magis ab hominibus agnoscitur, cuique attributiue opera eiusmodi adscribenda dicuntur. Quoad itaque noua non fingitur operis attributiui notio, tantum abest, vt confusio errorque in doctrinam de illo introducatur, si pluribus singulisque personis diuinis commune illud dicatur, vt potius vera eius notio tolleretur, hinc vera confusio oriretur, si vni personae diuinae soli, plane reliquis exclusis, opus eiusmodi adscribi deberet. Sed vt communem ecclesiae nostrae doctrinam aliqua specie impugnet, *primum* fundamento in sacris litteris eam destitui, quae po-



tius, ex ipsius opinione, contrarium doceant, probare laborat, *deinde* ex fine resurrectionis CHRISTI eandem impugnare studet, ac *denique* causas, cur a Theologis nostratibus haec sui ipsius a mortuis excitatio vindicetur, minus esse idoneas, neque ad rei huius rationem reddendam sufficere, demonstrare promittit. Quomodo singula ab eo praestita sint, ordine videamus.

Antequam vero TELLERI filium ipsum sequamur, non possumus non monere, communionem operum diuinorum externorum, qua singulis personis diuinis attribuuntur, tam arcte cum ipsius essentiae diuinae communiōne esse coniunctam, ut illa negata neque haec possit recte defendi. Quum enim eandem essentiam diuinam, non tantum similem, possideant pater, filius & spiritus sanctus, eadem quoque pollent atque videntur omnipotentia diuina, quippe quae est attributum diuinum idem cum essentia diuina ipsa. Quae itaque est omnipotentia patris, est etiam filii & spiritus sancti. Esse vero reuocationem CHRISTI ex morte opus vi diuina infinita seu omnipotentia perfectum, nemo in dubium vocabit. Si itaque vis illa infinita non minus est filii quam patris, neque filii omnipotentia alia est ac patris omnipotentia, quomodo ex morte resuscitari potuit CHRISTUS per omnipotentiam patris, nisi etiam per omnipotentiam filii, id est, per suam ipsius omnipotentiam, vitae sic restitutus? Quod si itaque hoc negat Doct. TELLERUS, neget etiam necesse est, eandem patris & filii esse omnipotentiam, hinc eandem vtriusque esse essentiam diuinam, quod quidem disertis verbis non negat, at neque disertis verbis adfirmat, & reliquis doctrinis suis, prout demonstraui-mus, negare potius quam adfirmare videtur.

Tres itaque nunc a Doct. TELLERO ipso definitas partes, vnam post alteram, sub examen vocemus, atque *primum*, vtrum id vere probatum dederit, quod promissit, omni hanc doctrinam de CHRISTO se ipsum a mortuis excitante in sacris litteris desitui fundamento, inuestigemus. Confert hic nume-



merum testimoniorum scripturae sacrae patri opus reuocatio-
nis CHRISTI ex morte tribuentium cum numero indoleque
eorum, quae de CHRISTO propria vi in vitam redeunte ex-
plicantur. Quae hic dicenda veniunt, ad numeri ingens discri-
men atque ad indolem locorum postremi generis redeunt. Pa-
trem ex morte reuocasse filium suum, XXVIII testimoniis scri-
ptorum sacrorum probari posse, ait, at bina tantum allegari
loca, quibus, CHRISTUM se ipsum excitasse, a nobis probe-
tur. Locum enim tertium ex I PETR. III. 18. quo plerique ad
eandem rem probandam vtuntur, omittit, atque miratur,
Theologos perspicaces potuisse ad locum illum ob veritatem
hanc probandam prouocare, de quo deinde iudicabitur.
Quam parum numeri computatio causam *Tellerianam* iuuare
possit, facile in oculos incurrit. I.) enim inter prioris generis
testimonia comprehenduntur non solum illa loca, quibus patri
tribuitur opus hoc diuinum, sed & omnia illa, quibus Deo sim-
pliciter nominato adscribitur. Dei nomen pluribus quidem in-
ter loca ista *ὑποστατικῶς* adhiberi, ideoque de patre tantum ex-
plicandum esse, non negamus, at plura dantur alia loca, qui-
bus ratio nulla apparet, cur non possit *ὑποστατικῶς* intelligi, qui-
bus itaque ingens hoc opus non patri soli, sed singulis etiam
reliquis personis diuinis attribuitur, hinc filio Dei etiam ipsi.
Vbi enim nulla apparet causa, cur nomen Dei ad vnicam per-
sonam diuinam restringendum sit necessario, ibi rectius sensu
suo consueto de singulis diuinis personis explicatur. Quo igi-
tur numerus locorum, quibus patri soli adscribitur opus hocce,
imminuitur, numerusque eorum, quibus CHRISTO cum pa-
tre & spiritu sancto simul tribuitur, augetur. At II.) quaeri-
mus etiam, quot effata diuina requirantur ad veritatem aliquam
probandam? Nonne, quae vnico tantum oraculo diuinitus sunt
patefacta, ob vnicum hoc testimonium diuinum omnem fidem
merentur, ideoque pro certissime veris sunt agnoscenda? Cur
itaque bina non sufficerent hac in causa CHRISTI ipsius testi-
monia? At arbitrari videtur TELLERUS, bina haec tot aliis
cia-

claris evidentibusque esse contraria. Quod tantum abest, vt TELLERO adfirmanti concedamus, vt potius, vtrumque locorum genus optime consentire, vel ex eo pateat, quod ipsa restitutio CHRISTI in vitam patri attributa, cum essentiae diuinae cum filio aeterna communicatione collata, etiam CHRISTUM se ipsum a mortuis excitasse, demonstrat. Nisi id sit absurdum, quod saltem TELLERO nondum concedimus, eandem esse singulis diuinis personis communem essentiam, hinc eadem eas habere communia attributa diuina, neque illud absurdum esse dici potest, quum opera his attributis perfecta singulis personis esse communia dicuntur. Mortuorum omnium in vitam reuocationem futuram CHRISTI in primis opus esse, non negat Doct. TELLERUS, scripturam vero sacram idem saepius opus patri adscribere, negari nequit, quae si secum inuicem non pugnant, neque contraria sibi sunt, si, patrem excitauisse a mortuis CHRISTUM, eundemque se ipsum in vitam restituisse, docetur. Sufficiunt itaque loca bina satis clara aliisque non repugnantia veritati huic probandae, etsi, neque alia deesse argumenta, ex iis, quae ante diximus, iam pateat. Non quot, sed qualia sint argumenta probantia, in veritate aliqua confirmanda merito spectatur. III.) facile etiam ratio reddi potest, cur saepius patri opus illud in sacris litteris, quam CHRISTO ipsi, tribuatur, etsi eo idem huic non abiudicetur. Illud enim iam ipsa operis attributiui patris natura requirit, quippe quo praecipue pater se manifestauit, Deum perfecte per CHRISTUM hominibus esse conciliatum, hominumque sponsores cuncta praestitisse, quae ab hominibus iure postulabat iustitia diuina, solutoque iusto pretio pro integra hominum culpa, omnibusque toleratis poenis, in libertatem merito restituendum eundem esse, declaraturus. Eadem enim etiam est aliorum operum diuinorum attributiui ratio, quae saepius illi personae, cui in primis attribuuntur, quam reliquis, adscribi solent. Ex quo vero iure colligi nequit, solius personae illius, cui saepissime adscribitur, esse opus eiusmodi, exclu-



clusis reliquis omnibus, et si aliis oraculis sacris etiam reliquis tribuatur in alium sensum detorquendis. Sed plura iam diximus, quam argumenti ex locorum scripturae sacrae numero repetiti requirere videtur grauitas.

Quae igitur maioris momenti esse videntur, aggrediamur, & quid de indole sensuque sermonum CHRISTI, quos ob veritatem hanc probandam allegamus, iudicet Doct. TELLERUS, attendamus. *Primum* generatim, sermones hos valde esse obscuros, conqueritur. Eodem igitur modo loca haec impugnat, quo *Sociniani* in *Catech. Racouienfi* qu. 461. *Primum respondeo, adeo pauca & figurata & obscura testimonia tot Scripturae perspicuis testimoniis opponi non posse, ut ea, quae & numero sunt pauca, & adeo obscura, ea, quae & tot sunt numero, & adeo clara & perspicua, explicent. Verum & pauca & obscura omnino iuxta sententiam & plurimum & clariorum accipienda sunt.* En eadem argumenta a numero & obscuritate locorum allegatorum repetita. Eo itaque breuius expedire causam hanc possumus, quum *Socinianorum* argumenta saepius iam a summis Theologis sint confutata, atque in omnibus operibus lectionibusque polemicis confutentur. Et certe vtroque loco quid sit obscurum, inuenire non possumus, quomodoque distinctius mens CHRISTI explicari nobis potuerit, ignoramus. Fatemur, sermonem CHRISTI JOH. II. 19. audientibus fuisse obscurum, quum & illis resurrectio CHRISTI plane esset ignota, instarque fabulae videretur, & nulla a CHRISTO improprio sermone adderetur explicatio, & ipsi praesentes in templo *Hierosolymitano* de alio quam de templo hoc lapidibus exstructo non cogitarent. At si, nobis locum hunc esse obscurum, post CHRISTI ex morte reditum, feliciterque sublatas tunc temporis hominum mentes obcaecantes opiniones praecipuas, conquereremur, certe pro tanta luce erga Deum essemus ingratiissimi. Discipulos CHRISTI sermonem hunc audientes eum non magis reliquis intellexisse, certum est, at post eius resurrectionem eos mentem sermonis huius recte

B

per-



percepisse, eiusque, vt maxime memorabilis, saepius memores fuisse, ipse JOANNES testatur v. 22. Nobis, inquam, obscurus sermo CHRISTI esset, euidentissima authentica interpretatione illustratus? Templum enim a *Judaeis* fractum se tertio die esse restauraturum, praedicat. Quid sit templum, corpus nimirum CHRISTI, expresse docet JOANNES v. 21. quomodo illud restauraturus sit CHRISTUS, nimirum resurrectione a mortuis, v. 22. docetur. Morte itaque fractum esse corpus CHRISTI, facile ex oppositione patet. Singulis igitur fere verbis authentice explicatis, quomodo sermo ille nobis adhuc obscurus videri potest? Si lucem videre nolumus, obscura omnia videntur, etsi Deus eo se demittat, vt optimum verborum suorum interpretem ipse agat. Neque maiorem obscuritatem altero loco ex JOH. X. 17. 18. inueniet, qui non clarissima verba, detorquens illa in alienum sensum, ipse obscurare laborat. Quid enim sit *τιθένας ζωὴν & λαμβάνειν ζωὴν*, nemini obscurum esse potest parum ad nexum attento, neque, quid reliquis verbis insit obscuri, inuenire possumus, quum nihil, quod obscurum sit, indicetur. Quomodo vero probatio ex hoc loco recte instituat, deinceps vberius ostendetur. *Postea* miratur Doct. TELLERUS, quomodo CHRISTUS, cum reliquis alias consentiens, qui patri restitutionem eius in vitam adscribunt, hic plane contraria asserere potuerit. En verba eius ipsa: *Vnd wenn nun noch diese zwei dunckele Versicherungen von einem treuen und wahrhaftigen Zeugen herkommen, der schon vorher seine Stimme mit den übrigen vereiniget hat, um das Gegentheil zu bestaettigen: ist es nicht alsdann vernünftig zu glauben, man müsse diese nicht recht verstanden haben? Oder ist dieses auch nicht ganz der gegenwaertige Fall?* CHRISTUS indubie ad patrem loquitur, atque vitae restitutionem ab eo petit PS. XVI. 10. At saepius iam dictum est, contraria plane non esse, a patre eum esse vitae restitutum, atque se ipsum restituisse, vtrumque potius arctissime esse connexum. Num enim eadem esse potest potentia filii, quae est patris, si

id



id sibi repugnat, patrem potentia sua, filiumque potentia sua mortuos eosdem in vitam reuocare? Si autem vtrumque optime cohaeret, cur fides summa CHRISTI, qui ipsa est veritas, his sermonibus, si rite explicantur, labefactari deberet? vel cur violente perueri & in sensum coactum detorqueri debent sermones eius, qui absque pugna cum sermone eiusdem prophetico PS. XVI. naturalem suum sensum possunt retinere? *Denique* quomodo explicari possint sermones isti, ne doctrinae nostrae faueant, ostendere vult Doct. TELLERUS. Locum interim vtrumque ita miscet, vt dubium sit, vtrum loci prioris aliquam explicationem dederit, an minus? Tota explicatio comparatione cum ficto aliquo exemplo simili viso absoluitur. Medicum enim peritum, ait, cuidam dicere posse, se ipsum sanare aegrotum se posse, atque se ipsum sanare se velle, et si postmodum in morbum incidens alius medici cura vtatur, ab aliis igitur recte dici posse, ab hoc medico alterum esse sanatum, quod neque adseueratione eius olim data, se ipsum se posse aut velle sanare, possit impugnari aut confutari. Quam parum simile hoc in causam hanc quadret, quisque facile videt, quicumque intelligere illud valet. Neque melior sensus obscurioris illustratio, neque confirmatio quaedam ex eo repeti potest, quo itaque illud integrum sit destinatum, nos ignorare fatemur. Certe si in locum planae euidentisque interpretationis in sacris litteris ipsis datae tam obscura per comparationem minime aptam substituitur, locus clarissimus videri potest obscurissimus. Optime igitur agemus, si ipsi veritatis, de qua disputamus, demonstrationem ex loco vtroque deriuamus, atque, quam parum exemplum effectum applicari hic possit, paucis ostendimus.

Vt a sermone CHRISTI ex JOH. II. 19. incipiamus, mortem sibi a *Judaeis* expectandam vaticinari CHRISTUM, nullum est dubium. Addit vero adseuerationem, se templum (corporis sui) morte destructum tribus diebus esse restauraturum. Nulla opus est probatione, de resurrectione sermonem



esse CHRISTO, quod & oppositio erga mortem, qua corporis fractio facta, & ipsa explicatio v. 22. probat. Digna enim non sunt *Socinianorum* somnia, quae confutentur, qui erectionem corporis a restitutione in vitam distinguere volunt, quum ad incitas redacti non nisi desperato hocce perfugio uti, atque defensione omni probabilitate destituta causam suam tueri possint. Nam & vocis *ἐγείρειν* significationem, & corporis per mortem destructionem restitutioni huic oppositam id non permittere, videre nolunt. At id quoque CHRISTUM agere, vt sibi ipsi opus hoc discrete attribuat, admodum luculente ex sermone ipso eiusque nexu apparet. Nisi enim corpus suum propria vi ipse in vitam restituisset, non solum nunquam promississet, se velle illud ipsum restituere, sed & multo minus praedixisset, certo se illud esse restitutum. Non itaque tantum, quid possit & velit, sed & quid certo facturum sit, indicat, etsi, si quid possit & velit, reuera illud etiam fieri, nullum sit dubium. Praeterea respondet CHRISTUS *Judaeis*, qui, vt ipse miraculis patris potestatem, qua polleat in templum Dei, confirmaret, postulauerant v. 18. Ablegat eos CHRISTUS ad maximum miraculum, quod olim facturum sit, sui ipsius ex morte restitutionem, quam itaque ipsis non vt miraculum a patre solo patrandum, sed & a se ipso edendum sistit, quam ob rem recte, sibi ipsi CHRISTUM hoc sermone sui ipsius resurrectionem ex morte tribuere, concludimus. Si cum illustratione *Telleriana* haecce conferimus, medico CHRISTUM comparat, se ipsum sanare se velle, gloriantem, postea vero medici alius curae nihilo minus se permittenti. CHRISTUM itaque tantum, se velle se ipsum resuscitare, dixisse arbitratur, postea nihilo minus a patre solo in vitam reuocatum. Sed absit eiusmodi lus in verbis ambiguus a sermonibus CHRISTI. Si serio voluit vitae se ipsum restituere, reuera etiam ipse restituit se. Medicus fictus mentem suam mutat, posteaque non vult, quae ante voluerat, vel quod haud mature de consilio capto deliberauerat, vel quod inconstans est in consiliis suis, vel quod gloria-

riabundus tantum alia dixerat, alia mente cogitauerat, quae omnia in summum salutis nostrae auctorem non cadunt. Neque tantum, quid velit, hoc sermone patefacit, sed etiam quid certo facturus sit, eo igitur minus simile illud applicari hic potest.

Non difficilior eadem doctrina ex JOH. X. 17. 18. demonstrari potest. Comparauerat se CHRISTUS pastori, secumque fide coniunctos ouibus, optimumque se esse pastorem, ingentis sui erga oves amoris documentis eximiis probauerat, quorum maximum erat, quod pro ouibus ipsam mortem occumbere haud dubitet, quod & patri ipsi maxime esse gratum & acceptum adfirmat. Mortem itaque sibi imminentem praedicat, at simul, perpetuam eam non fore, sed resurrectione laeta finitum iri. Ad mortem itaque se sponte se ipsum dare, adferit, sed eo fine, ut ipse etiam vitam sibi denuo restituat v. 17. Non coactam esse mortem, sed sponte se eam obire, adseuerat v. 18. idque eo confirmat, quod plenam perfectamque in vitam suam habeat potestatem, qua deponere eam, quaque denuo in eandem restituere se possit propria sua virtute. Fate-mur, in vltima parte sermonis loqui CHRISTUM de potestate, quam habeat in vitam suam. At quum opponat *τιθέναι ζωὴν & λαμβάνειν ζωὴν* per totum sermonem, atque parem sibi esse quoad vtrumque potestatem, adfirmet, verba praegressa ex eo lucem suam accipient. Sponte se deposuisse vitam suam, nemine eam inuito sibi eripiente, ob hanc, qua polleat, in vitam suam potestatem, adferit, vnde, quam huic opponit, in vitam restitutionem, cuius non minus sibi attribuit potestatem, a se ipso quoque eadem hac potestate factam esse, docet. Vitam itaque se denuo sibi vindicasse propria sua virtute, ob potestatem, quam habeat, in vitam redeundi, per oppositionem satis claram indubie adfirmat. Neque causa adesset, cur praedicens mortem, resurrectionemque suam huius suae potestatis, vitam deponendi recipiendique, meminisset, nisi vtrumque eidem po-



testati suae adscribere voluisset. Ex quo simul luculente apparet, non conuenire sermonem hunc CHRISTI cum medici gloriantis sermone, se posse aegrotantem se ipsum sanitati restituere, etsi postea alii medico sanandum se permittat. Meminit enim potestatis suae CHRISTUS non gloriabundus, sed declaraturus, qua potestate in vitam olim sit rediturus, integerque nexus demonstrat, ipsum a potestate sua ad eius usum in resurrectione instante concludere auditores lectoresque voluisse docere. Nisi itaque simili hoc meliora in medium proferat Doct. TELLERUS, genuinam loci huius interpretationem euersam dicere nequit.

Jam vero ad finem progreditur resurrectionis CHRISTI Doct. TELLERUS, vt ex eo demonstrat, opus hocce ob finem suum nemini nisi patri attribui posse ac debere. Duplex hic inuenimus argumentum paucis tantum verbis commemoratum. 1.) *Wenn also, ait, die Auferweckung J. C. ein Beweis des von Gott dem Vater angenommenen und ihm wohlgefälligen Verfoehnungswerckes seyn solte, welcher von beyden musste hier die lebendigmachende Person seyn? Der Vater oder der Sohn?* Hisce reponendum ducimus 1) loqui rursus auctorem, ac si contraria essent, patrem esse causam resurrectionis huius filiumque, neque vtrique posset atque deberet sine vlla pugna opus eiusmodi tanquam commune attribui. Quod quum falsum esse saepius sit demonstratum, quaestionem hanc parum apte hic moueri, apparet. 2) Expiatum vere esse Deum satisfactione a CHRISTO praestita, & pro integra hominum culpa pretium sufficiens esse solutum, reditu CHRISTI in vitam certe est demonstratum, quam ob rem ipsi illo, expiationem nostram cum Deo certissime esse paratam, eamque omnibus numeris absolutam, cognoscimus. At num pater solus hominum peccatis erat offensus? nonne Deus trinus iure hominibus ob peccata irascebatur? Num itaque solus hominibus reconciliandus fuit pater? nonne singulis personis diuinis per CHRISTUM satisfactio fuit praestanda? Num igitur solus pater declarare debuit,
con-

contentum se esse hac expiatione, paratumque, ob eandem peccata hominibus absque vilo merito ipsorum condonare, poenisque promeritis eos absoluere? nonne & reliquae personae diuinae idem declarare potuerunt ac debuerunt? Nisi aliquid falsi in doctrina de trinitate iterum hic supponatur, singulae diuinae personae, sibi expiationem a CHRISTO paratam placere, restitutione eius in vitam declarare debuerunt & voluerunt. Si itaque ille CHRISTUM a mortuis excitauit, qui opere hoc, probari sibi redemptionis opus, declarare debuit, singulis diuinis personis opus hoc sit commune necesse est, neque patri soli, exclusis penitus reliquis, adscribi illud potest. Contrarium itaque potius argumento hoc *Telleriano* probatur. 3) Interim non negamus, patrem in primis se in declaranda hac approbatione diuina manifestasse, quod tamen nomine singularum diuinarum personarum factum, at ex eo tantum sequitur, declarationem hanc eius opus esse oeconomicum & attributum (vt vocibus his receptis vtamur), eodem igitur modo etiam ei reuocationem ex morte esse adscribendam, eandemque ideo patri frequentissime tribui, at id ex eo sequi non potest, plane ab opere hoc reliquas diuinas personas esse excludendas, quod ipsa operum oeconomicorum natura haud permittit. II.) *Wenn eben diese Auferweckung, pergit, die erste Stufe der Erhoehung war, die J. C. betreten sollte, wer musste ihn auferwecken? Ist es nicht wahr, eben derselbe, der ihn erhoebet hat?* Eiusdem est generis argumentum hoc ac praegressum. A causa exaltationis CHRISTI ad causam resuscitationis eius concluditur, neque iure id fieri negamus. At denuo precario supponitur, patrem solum esse causam exaltationis CHRISTI, cui iterum attribuitue illud adscribi concedimus, at minime penitus exclusis reliquis personis diuinis. Nulla enim allegatur causa, cur CHRISTUS etiam se ipsum exaltauisse, seu gloriae diuinae & maiestatis cum humana natura communicatae vsum plenum perpetuumque ipse esse aggressus dici nequeat. Quum igitur resurrectio primus exaltationis gradus esse dicatur, id, quod in lite est,



est, precario tanquam certum supponitur, quum, si ipse causa est reditus sui in vitam, certe sit causa exaltationis suae, quam ob rem principium petitur, (quod Logici aiunt) si ex hoc illud confutari debet.

Denique causas, cur a nobis CHRISTO sui ipsius in vitam restitutio vindicetur, sub examen vocat, easque plane ineptas iudicat. Fundari doctrinam nostram oraculis diuinis ante explicatis, largimur, quae vero iam a Doct. TELLERO euerisa nobisque erepta esse, concedere non possumus. Argumenta idonea etiam ex ipsa summa diuinitate CHRISTI peti posse, ante demonstratum est. Si itaque TELLERUS, fundamentum hoc admodum instabile esse atque incertum, putat, si certi aliquid ex eo probari debeat, tacente licet penitus scriptura sacra, opinio praecipitata admodum praecipitare mentem eius in iudicando videtur. Sicut enim silentium sacrarum litterarum contra euentissima effata CHRISTI adseritur, ita illud etiam, ex summa CHRISTI diuinitate nihil certi de operibus ipsi attribuendis & cum patre communibus concludi posse, haud recte affirmatur. Ex communi enim eius cum patre essentia diuina recte, communia esse opera externa omnipotentia diuina communi perfecta, colligitur, quod antea vberius est explicatum. At verba miramur TELLERI sequentia: *Denn wenn er Gott war, so war er es gewis nicht im Grabe, was den Gebrauch seiner Eigenschaften und Vollkommenheiten anlangt. Er aeußerte sich, er erniedrigte sich selbst. Sind wir darinnen nicht alle einig? Und Welch ein Chaos von Begriffen formiret man sich also?* Vt nihil dicamus de dubia dictione: *Si Deus erat*, quod extra omnem dubitationem positum nobis est, saltim, vt lenissimum iudicium feramus, valde incommode loquitur, CHRISTUM non fuisse Deum in morte, eo quod se a pleno vsu attributorum diuinorum (cum humana natura communicatorum) abstinerit, adserens. Ex quo itaque sequeretur, CHRISTUM in statu exinanitionis non fuisse Deum, quod falsum indubie est. Et si enim addat, quoad vsum attributorum atque eminentiae suae,

suae, Deum eum non fuisse, diuinam tamen naturam ipsam esse exinanitam, recte adferri non potest, quum exinanitio proxime ad humanam naturam pertinuerit, cumque ea ob vnionem personalem communicatam maiestatem gloriamque diuinam, a cuius pleno & perpetuo vsu sponte abstinuit, vt humilia illa fata subire posset, hominum causa suscipienda, etsi eam tanquam propriam considerauerit suamque fecerit diuina natura. Non igitur exinanitione humanae a diuina natura facta est separatio, Deus igitur mansit CHRISTUS in summa etiam humilitate, neque ipsa gloria diuina communicata illa exuta esse dici potest natura humana. Fuit itaque Deus etiam in morte, arduissimeque vnita mansit diuina natura cum humana. Natura igitur diuina CHRISTUM potentia sua vti potuisse, ad corpus suum humanum in vitam restituendum, nullum est dubium, atque quum ipse actus resurrectionis iam esset actus exaltationis, mens etiam CHRISTI humana omnipotentia diuina vnione personali secum communicata iam vsa est, ideoque partem habuit in restitutione nouaque secum coniunctione corporis antea mortui.

Miratur denique Doct. TELLERUS admodum, nonnulla alia loca scripturae sacrae nonnunquam confirmationis illustrationisque gratia cum primariis ante explicatis conferri, in primis sermones CHRISTI ex JOH. V. 26. & XI. 25. At si recte illa considerantur, adeo mirum illud non videbitur. Ex primo enim loco patet, in CHRISTO deprehendi vitae propriae aliorumque causam, hinc etiam vitae ipsius humanae morte extinctae, ex quo porro colligi potest, potestatem ipsum habere in vitam suam, tradere igitur se in mortem, vitamque recipere propria vi posse. Altero loco, se omni tempore causam resurrectionis vitaeque omnigenae esse, vitae igitur etiam corporis, potestate itaque se gaudere, ex morte resuscitandi, adseuerat, quod generatim dictum ad ipsum CHRISTUM nostra causa mortuum non minus quam ad alios mortuos potest applicari. Etsi igitur id facile concedamus, probari ex locis his solis non posse, CHRISTUM propria vi sua ex morte in vitam rediisse,



saltem, veritate hac alio modo probata, maiorem lucem ex locis illis accipere potest. Simile iudicium fert Doct. TELLERUS de locis 1 PETR. III. 18. & COL. II. 9. Primo loco CHRISTUS interfectus esse carne dicitur, & vitae restitutus spiritu. Caro igitur & spiritus in CHRISTO sibi inuicem opponuntur, in qua oppositione ex vsu scripturae sacrae illa humanam, hic diuinam eius naturam indicare solet ROM. I. 3. 4. 1 TIM. III. 16. Neque hoc loco per carnem solum intelligi potest corpus, quum alias per spiritum mens humana CHRISTI esset intelligenda, quae neque vitae est restituta nunquam mortua, neque in se considerata causa est reuocationis a mortuis, quod proxime est diuinae naturae. Quid vero aliud per spiritum, salua oppositione recta erga carnem, intelligi possit vel debeat, non videmus, quum spiritus sanctus carni commodo sensu opponi haud possit, etsi non ignoramus, esse etiam inter interpretes nostrates, qui de illo locum hunc explicant. Si vero diuina intelligitur natura, haec ipsa a mortuis esse excitata dici nequit, quippe in quam mors nulla cadere potuit, nihil itaque restat, nisi causam esse eandem restitutionis in vitam, excitatum itaque a mortuis esse CHRISTUM per diuinam suam naturam. Vt vero vocum σαρκι & πνεύματι oppositio eo melius sibi constet, illis adfentimur interpretibus, qui mentem PETRI ita explicant, vt, interfectum esse CHRISTUM, adserat, quia caro seu humana praeditus sit natura, vitae vero restitutum, quia diuina natura cum illa arctissime sit coniuncta. Recte itaque etiam hoc loco gloria CHRISTI per sui ipsius in vitam restitutionem demonstrata vindicari potest. De altero loco ex COL. II. 9. proxime huc non pertinente nihil dicemus. Loca reliqua, quibus, mortuos alios ab ipso esse excitatos, vel apostolos nomine eius mortuos in vitam reuocasse, probatur, potestatem CHRISTI demonstrant, mortuos ab inferis reuocandi, etsi non proxime, eum propria vi sua vitam sibi restituisse, probent. Illa vero oracula diuina, quibus resurrexisset seruator noster dicitur, ex iis
 lu-

lucem suam accipiunt, quibus, se ipsum eum in vitam restituisse, docetur, quum iis id constet, surrexisse eum propria sua virtute atque potestate, eminentiori igitur aliquo sensu de CHRISTO dictionem hanc esse intelligendam, quam de aliis hominibus in vitam restitutis olimque restituendis. Opus itaque non est, quod arbitratur TELLERUS p. 166. vt ad hanc dictionem, quae absque causa de resurrectione CHRISTI propria virtute ipsius facta explicanda supponatur, sermones CHRISTI ante illustrati detorqueantur. Recte potius explicatis claris eidentibusque his sermonibus, ex iis, quomodo intelligenda sit locutio ista, colligimus. Iusto itaque, neque inuerso ordine a nobis agitur.

Admiremini, Ciues Aestumatisimi, gloriosum vestrum seruatorem, qui gloriam non solum adiit ingentem reditu ex morte in vitam, sed etiam gloriam suam luculente demonstrauit, quod ipse mortem vicit, vitamque perennem sibi restituit. Nos ipsos hac sua gloriosa resurrectione certiores reddidit, Deum nobis esse conciliatum, paratumque, reconciliatione per CHRISTUM parata fide nobis recte applicata, tegere atrocissima peccata, ira desistere, fauoreque nos amplecti, poenas promeritas remittere, earumque loco salutem aeternam in CHRISTO nobis largiri. Vitae nostrae etiam auctorem suspicimus viuum nostrum sponsoem, vitae mentis felicitis in beata cum eo coniunctione, vitae corporis gloriosae olim ex cinere restaurandi, quin, quod maximum est, vitae lactissimae nunquam desiturae in familiariori cum Deo CHRISTOque consuetudine. A contemptu gloriosi huius domini vestri atque maximi patroni, qui causam vestram apud Deum feliciter egit, & perpetuo adhuc agit, cauete sollicitate. Summa veneratione menteque deuotissima & gratissima audite, & ad salutem vestram vtimini doctrina de CHRISTO vitae restituto, vitaeque vestrae auctore. Vocem eius potentissimam ad vitam vos vocantem audite, viribusque per eandem oblatis surgite ad nam



uam vitam COL. III. 1. ROM. VI. 1. Fide cum illo coniuncti, qui ipse est resurrectio & vita JOH. XI. 25. securi esse potestis, vobis ipsa morte transitum ad vitam felicioram & aeternam aperiri, nunquam itaque vos esse morituros. Spes haec laetissima sola vitam nostram calamitosam beatam reddere, inque omnibus eius miseriis & aerumnis nos sustentare potest, quae miserissima est vitaeque nomine indigna, spe hac certa laetaque deficiente. Quam igitur si ex Euangelio de vita CHRISTI festis his diebus rursus publicando aude audito, fideque vera recto ordine diuinitus perfecta apprehenso & applicato, firmam certamque concipimus, felices aeternum praedicabimus dies hos vitae CHRISTI memoriae sacros, qui vero absque fructu consumti vel vita operibusque insanctis contaminati futurae vitae infelicitatem maxime auerent. CHRISTUS vero ipse festum hocce laetum, faustum omnibusque nobis salutare esse iubeat!

P. P. SUB SIGILLO ACADEMICO,
 IPSIS FERIIS PASCHALIBUS,
 ANNI MDCCLXV.





